

30

## LEONARDI AUGUSTINI

*Lætus Aristagoras natis bene villicus uvivis**De cera facta dat tibi poma Deus.**At tu, sacra contentus imagine pomi**Fac veros fructus ille, Priape, ferat.*

Præclarus hic varius lapis electus est ex gemmis Illustrissimi & Excellentissimi Viri Lælii Ursini, Principis Nerulæ, qui dignatus fuit eum donare huic libro, quem ego hic nomini ejus consecro, unde jam quoque in parte priore honorem mihi mutuatus sum.

## 14. BACCHANTES.

In hoc sigillo exhibentur bacchantes saltatores, armati, & cum personis ante vultum, imitantes reditum Bacchi ex Indis, quo illum sequuti fuerunt Corybantes & armata multitudo. Primus super humerum gerit socium, & manu subrigit ejus frontem caputque ebrietate labens. Secundus in humeris gerit puerum nudum, qui tergo ejus insultat brachiis collum tenentibus. Fieri non potest, ut ulla dubitatio oriatur, quin tres illæ priores figuræ non sint larvæ eodem larvæ genere, galea & lorica & ratione sculpturæ præferentibus modum Ægyptium; atque ita exprimentur antiquissimæ cerimonie Bacchi, ab Ægyptiis profectæ ad Græcos & Romanos. In vetusto marmore, quod exstat in palatio Illustrissimi & Reverendissimi Patriarchæ Camilli Maximi, sunt sculptæ quatuor bacchantes fœminæ ad eundem Ægyptium modum, quæ sibi præbent manus ad saltandum in habitu simili, ex quibus prima vultum sibi operit larva barbata prorsus